



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Qvod Ivdæi Messiam, Qvi uenit, ceu uenturum, temere
expectent**

Samuel <Marochitanus>

Argentorati

VD16 S 1561

Capvt. XI. De secundo adue[n]tu Christi, quod tunc sit cum potentia
iudicaturus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36159

PARASTASIS.

cap. Ipse est homo, & quis scit eum? Et timeo, domine mi, quod patres nostri in primo aduentu Messie defecerunt, & errauerunt, & propter hoc sumus in ista captiuitate quae non habet finem. Et tamē quicquid contingat dei sumus, & in ipso speramus.

CAPVT XI.

De secundo aduētū Christi, quod tunc sit cum potentia iudicaturus.

Domine mi, paueo ne iste iustus iudex sit ille qui iudicaturus est cum potentia in aduētū secundo, & qui fuit saluator in aduentu primo omnium qui crediderunt in eum, quoniam propheta Dauid dicit de illo. Notum fecit dominus salutare suum, & in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Adhuc dicit Esa. cap. xij. Haurietis aquas de piscinis saluatoris, quod dictum, secundum uidere meum, intelligo de baptismo. Nam in primo aduentu saluauit per aquam, & in secundo iudicabit per ignem. Et de isto saluatore dicitur, domine mi, Job. xix. Scio quod saluator meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea oculi mei uidebunt Deum meum. Attende, domine mi, quod uocat istum saluatore Deum. Constat autem quod oculi carnis non uidebunt Deum. Ecce habemus secundum scripturas quod saluator est iste Deus iustus, de quo est sermo, & solus potest dici uerus iustus, quoniam nullum peccatum fecit, secundum quod de illo Deus testificatur per os Esaiæ propheta. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Nec de Moysen nec de

B 3 aliquo

V E R I M E S S I A E

aliquo Prophetarum dicitur q̄ sit saluator iustus & sine peccato, quia Moyses peccauit, & omnes Prophetae peccauerūt, sicut uos scitis, domine mi. Et idcirco nullus eorū uocatur iustus in scriptura, sed illud nomen isti soli seruetur, Et sine dubio, non saluatur, nisi hij, qui credūt primū aduentum suū, & illi qui nō credūt nō habent causam aliā q̄ saluetur in secūdo aduētū eius, sed digni sunt morte, quia digni erāt morte illi qui non credebant Moysi, & non obediebāt ei qui fuit peccator, quātomagis digni sunt igne illi qui non credunt, & blasphemant istum iustū & dominū qui Peccatū nesciuit unquā. Quicquid tamē eueniat Dei sumus nos.

CAPVT. XII.

De Christi ascensione.

Domine mi, nos inuenimus ī scripturis q̄ Christus exaltabitur de terra ad coelū, & ego timeo q̄ illud sit completum in isto qui fuit īterfectus à patribus nostris, et de ista exaltatiōe dicit Dauid Propheta in Psal. xxiiij. O magnates aperite portas principatus uestri, & eleuamini portae aeternales, & introibit princeps glorie. Et attende domine, q̄, respondēt illi angeli. Quis est iste princeps glorie? & ipse respōdet illis. Dominus uirtutū fortis in proelio. Et cōstat, domine mi, q̄ iustus iste dominus uirtuū nō habuit proeliū nisi in primo aduentu suo, quia quādo sedebit ad iudicandū, ignis in circuitu eius exardescet, & inflāmabit in circuitu inimicos eius, & conflabit iustos per ignem quasi argentum. Et hoc in ultimo
eius